



# The Holy See

---

PIUS PP. X

EPISTOLA

***DE NOVA EDITIONE OMNIUM OPERUM S. FRANCISCI SALESII\****

VENERABILI FRATRI  
LUCIANO EPISCOPO ANNECIENSI - ANNESSIUM

*Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.*

Quod nuper a Salesianis de monasterio Anneciensi Virginibus, quae omnium legiferi sui Patris operum nobilem editionem accurant, ipse Nobis attulisti munus, volumina scilicet usque adhuc edita, idque amantissimis coniunctum litteris, Nos quidem habuisse pergratum vix attinet dicere. In quo non solum respicienda pietas est erga sanctum Auctorem ab alumnis disciplinae suae egregie testata, sed opportunitas etiam Ecclesiae, sacro praesertim Ordini, praebita. Inest enim in Salesio, tamquam peculiaris, ab amore profecta Iesu Christi unde totus calet, mira quaedam persuadendi suavitas, cui non facile resisti queat, sive is mentes ab opinionum insania ad catholicam sapientiam, sive animos a vitiositate quavis ad virtutem atque adeo ad sanctitatis fastigia traducit. Huius tanti viri documenta ac spiritus, si modo penitus in ministris sacrorum insederint, sane quam prodesse possunt vel hodie, quum veritati divinitus traditae et christianorum integritati morum tam iniqua sunt tempora. Quare, uti divinae providentiae beneficio factum arbitramur ut ille, Doctoris titulo rite insignitus, Ecclesiae hac aetate eluxerit, ita divinae benignitatis instinctu susceptum esse consilium videtur, universa, quae ipse reliquisset, scripta rursus meliusque vulgandi. Operis autem confectionem gaudemus talem existere, ut prudentioribus in hoc genere cumulatissime satisfaciat: id quod praeterquam non vulgari sanctimonialium sollertiae et diligentiae, tribuendum est doctissimorum navitati virorum, qui, pro sua sagacitate ac peritia, earum labores regunt atque adiuvant. Utrisque igitur, quas laudes a Decessore Nostro fel. rec. Leone XIII novimus rem exordientibus tributas, easdem Nos iam feliciter properantibus ad exitum iteramus perlibenter: simul oramus Deum, ut in reliquum auxiliari perget, et largam pro meritis mercedem conferat. — Haec tu, Venerabilis Frater, qui ex auctoritate huic operi advigilas, sacris

istis Virginibus ipsarumque adiutoribus signifies volumus, una cum benedictione Apostolica,  
quam et caelestium bonorum auspicem et praecipuae Nostrae benevolentiae testem tibi atque eis  
amantissime in Domino impertimus.

*Datum Roma e apud S. Petrum, die I Ianuarii MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno secundo.*

**PIUS PP. X**

---

\*AAS, vol. XL (1907), pp. 385-386.

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana